

Præterea. Misericordia ex amore causatur. Sed homo debet incipere misereri à seipso, secundum quod dicit Augustinus. (a) Ergo & à seipso debet incipere amorem.

Præterea. Illud quod est naturale, vehementius est quam illud quod est voluntarium tantum. Sed amor sui est ex inclinatione naturæ; amor autem aliorum est ex voluntate rationis tantum. Ergo ex charitate homo plus seipsum quam alios diligit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut aliquid invenitur perfectius in causa perfecta in universali quam in effectu particulari; ita aliquid perfectius invenitur in re quam in sui similitudine: unde cum bonum proprium alicujus invenitur in Deo sicut in causa universali, in se autem sicut in effectu, in proximo autem sicut in similitudine; sicut Deum plus quam seipsum diligit debet benevolentiam dilectione, ita etiam plus se quam proximum. Sed sciendum, quod cum in homine sit duplex natura, scilicet interior, videlicet rationis, quæ dicitur homo interior; & exterior, scilicet natura sensualis, quæ dicitur homo exterior: plus homo debet diligit se quantum ad naturam interiorem quam quantum ad naturam exteriorem: & ideo ea quæ sunt bona naturæ interioris, plus debet optare quam ea quæ sunt bona sibi secundum naturam exteriorem. Omnia autem opera virtutis sunt sibi bona secundum interiorem naturam, inter quæ etiam sunt illa quæ quis ad amicum operatur: & ideo plura bona exteriora sunt impendenda amicis quam nobis ipsis, in quantum consistit in hoc bonum virtutis, quod est nostrum maximum bonum; sed de bonis spiritualibus semper plus nobis quam amicis impendere debemus, & velle; & similiter etiam de malis vitandis.

Ad primum ergo dicendum, quod in amore amatum, ut amatum, potius est quam amans, ut amans. Sed quia ut amans est etiam amatum à seipso, ideo potius potest esse in amore, in quantum est amatum, quam amatum extrinsecum, & magis collocatur in ipso affectus amantis quam in exteriori amato.

Ad secundum dicendum, quod quamvis bonum quod ego habeo, possit in proximo perfectius inveniri quam in seipso, tamen in se semper invenitur perfectius ut proprium: quia bonum quod est in ipso, non est meum nisi per similitudinem. Bonum autem quod est in Deo, est meum etiam secundum causam.

Ad tertium dicendum, quod tradere seipsum morti propter amicum, est perfectissimus actus virtutis: unde hunc actum magis appetit virtuosus quam vitam propriam corporalem. Unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc quod aliquis plus amicum quam seipsum diligit; sed quia in se plus diligit quis bonum virtutis quam bonum corporale.

Ad quartum dicendum, quod in hoc ipso quod homo non vult esse onerosus amico, tristitias stias communicando eidem, sed magis beneficis, & delectabilis, secundum virtutem operatur; & ita spirituale bonum plus sibi quam amico tribuit.

Ad quintum dicendum, quod de bonis spiritualibus magis nobis impendimus quam amicis; de corporalibus autem magis amicis quam nobis ratione jam dicta in corp.

Ad sextum dicendum, quod conversatio cum amicis est nobis delectabilis, in quantum cognoscimus

bonum ipsorum, quod nobis quasi nostrum complacet. Et quia per visum melius cognoscuntur res quam per alium sensum, ideo amici magis se videre desiderant: & quia magis potest homo cognoscere quæ sunt alterius quam propria, ideo magis delectatur in conversando ad amicum quam etiam ad seipsum, quamvis virtuosus ad seipsum delectabiliter conversetur, in quantum in seipso considerat memoriam, & propositum, & spem bonorum, quæ ei delectationem ingerunt, ut dicitur in IX. Ethic. c. 14.

ARTICULUS VI.

Utrum homo debeat magis ex charitate diligit extraneos quam propinquos.

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod homo ex charitate magis debeat diligit extraneos quam propinquos. Charitas enim, sicut & amicitia, fundamentum habet honestum. Sed major honestas, vel virtus invenitur quandoque in extraneis quam propinquis. Ergo magis sunt diligendi ex charitate extranei quam propinqui.

2. Præterea. Charitas facit conformitatem hominis ad Deum. Sed Deus plus diligit extraneos nostros quam propinquos, si sunt meliores. Ergo & nos magis eos diligit debemus.

3. Præterea. Effectus respondet affectui. Sed in aliquibus debemus majorem effectum amoris ostendere ad extraneos quam ad propinquos, sicut in colatione beneficiorum ecclesiasticorum, si extranei meliores sint. Ergo magis sunt diligendi etiam ex affectu quandoque extranei quam propinqui.

4. Præterea. Concordia in charitate importatur, & ex charitate efficitur. Sed aliquando magis concordandum est extraneis quam propinquis, sicut in bellis magis obediendum est duci exercitus quam patri. Ergo magis sunt diligendi extranei quam propinqui.

5. Præterea. Illud quod est debitum, præponendum est ei quod non est debitum. Sed reddere retributionem beneficiorum est debitum; beneficere autem propinquis non est debitum quandoque. Ergo magis beneficendum est extraneis quam propinquis: & ita, ad minus quantum ad effectum amicitiae, extranei propinquis præponendi sunt.

Sed contra. Galat. vi. 10. *Operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Ergo propinqui præferendi sunt extraneis.

Præterea. I. Timoth. v. 3. dicitur: *Qui suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Ergo magis habenda est cura propinquorum quam aliorum.

Præterea. Magis homo debet seipsum diligit quam alios. Ergo quanto aliqui sunt sibi magis propinqui, magis debet eos diligit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est in corpor. præced. artic. proximos diligitur, in quantum in eis bonum nostrum per similitudinem invenitur, loquendo de amore benevolentiae. Hæc autem similitudo attenditur secundum quod cum eis communicamus: unde & secundum diversas communicationes, diversas amicitias Philosophus distinguit. Est enim communicatio alia quidem naturalis, secundum quod in naturali origine aliqui communicant; & in ista communicatione fundatur amicitia pa-

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Lib. de verbis Domini serm. xxxvi.

patris & filii, & aliorum consanguineorum. Alia vero communicatio est economica, secundum quam homines sibi in domesticis officiis communicant. Alia vero communicatio est politica, secundum quam homines ad concives suos communicant. Quarta communicatio est divina, secundum quam omnes homines communicant in uno corpore Ecclesie vel actu, vel potentia: & hæc est amicitia charitatis, quæ habetur ad omnes, etiam ad inimicos. Quia ergo charitas benevolentiam importat, quæ amicis bona optat, & operatur bonum ad ipsos; ideo secundum unamquamque prædictarum amicitiarum amandi sunt amici quantum ad bona pertinentia ad communicationem illam super quam amicitia fundatur: unde ad patrem, & consanguineos amicabiliter nos habere debemus in eis quæ ad conservationem naturæ pertinent, & ad domesticos in his quæ ad dispensationem domus pertinent; ad concives in his quæ ad civilem vitam spectant, sicut est simul conversari, & morari in operibus civilibus; ad omnes autem homines in his quæ ad Deum spectant, ut omnibus optemus vitam æternam, & operemur ad salutem ipsorum secundum modum nostrum. Tamen, simpliciter loquendo, secundum illam amicitiam major debet esse dilectio quæ magis accedit ad id quod magis diligendum est. Maxime autem diligendus est Deus, & post hoc maxime debet homo seipsum diligit, ut dictum est. Et quia ultima dicitur amicitiarum, scilicet charitas, magis appropinquat ad dilectionem Dei, ideo si ab illa priores amicitie separentur, potior simpliciter esset ipsa sine aliis, quam alia sine ipsa. Non autem separantur quantum ad aliquem qui in hac vita vivat; sed post mortem separantur ab amicitia charitatis damnati. Unde plus debeo diligit hominem christianum quam patrem meum infidelem defunctum, simpliciter loquendo; quamvis liceat secundum affectum naturalem in illud magis ferri quod magis secundum naturam nobis conjunctum est. Prima amicitia magis proxima est ei qua aliquis seipsum diligit, quam secunda, & secunda quam tertia, & tertia simpliciter quam quarta tantum. Et ideo Ambrosius (a) super illud Cantic. cap. 11. *Ordinavit in me charitatem, hunc ordinem dilectionis ponit, ut primo diliganur consanguinei, ad quos habetur prima amicitia: secundo domestici, ad quos habetur secunda, quantum ad illos qui nobiscum in domo conversantur; & tertia quantum ad illos qui nobis in civilibus, & honestis actibus familiares sunt: tertio inimici, ad quos solum quarta amicitia habetur: & hoc intelligendum est simpliciter loquendo. Sed secundum quid potest ordo iste mutari, ut scilicet magis amicabiliter me habeam ad familiarem qui (1) mihi convenit in operibus honestis quantum ad societatem in istis, quam ad patrem qui in istis non communicat: & sic est intelligendum de aliis.*

Ad primum ergo dicendum, quod amicitia politica fundamentum habet communicationem in honestis operibus, in quibus simul aliqui conversantur; sed amicitia naturalis habet fundamentum communicationem naturalem: & hæc communicatio propinquior est illi qua homo sibi communicat. Unde In III. Sent. Tom. III.

(1) Forte mecum convenit, vel mecum communicat.

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) Non esse Ambrosii, sed Glossæ super illud Cant. 11. *Ordinavit in me charitatem jam superius indicatum est. Sic autem Ambrosius in Proverb. cap. x. Nihil pulchrius ordine: unde & Sponsa dicit: Ordinate in me dilectionem. Nolite præpostere agere; nolite perturbare, & confundere quæ Deus ordinavit. Amate me tamquam me: amate Deum tamquam Deum. Ne Deum offendatis propter me: nec me offendatis propter alium quempiam.*

sicut homo simpliciter se ipsum debet magis diligit quoad naturam, etiam si malus sit, quam alium bonum; ita etiam naturam patris sui magis diligit debet, simpliciter loquendo, quam alium bonum; non quidem in quantum malus, sed ad hoc ut bonus sit.

Ad secundum dicendum, quod in hoc Deo conformamur quod diligitur eos magis qui nobiscum magis communicant, sicut & ipse eos qui secum magis communicant, magis diligit: quamvis non sint iidem qui nobiscum, & cum eo magis communicant.

Ad tertium dicendum, quod in illis quæ non pertinent ad communicationem naturalem, quam cum patre, vel consanguineis habemus, non oportet quod magis consanguineis beneficiamus, sed illis qui magis conjuncti sunt nobis secundum communicationem ad quam illa bona pertinent: & ideo beneficia ecclesiastica non sunt danda magis consanguineis, sed eis qui magis sunt idonei ad regimen Ecclesie: quia illi, quantum ad hoc quod dispensatores divinarum sumus, magis nobiscum communicant. Sed de patrimonio proprio, & de his quæ homo proprio, & licito lucro acquirit, potest beneficare consanguineis potius quam aliis, & debet, nisi ex alia parte sit aliquid quod præponderet, ut indigentia, vel utilitas.

Ad quartum patet solutio per jam dicta: quia ad unumquemque magis amicabiliter nos debemus habere in eis quæ ad communicationem illam pertinent, secundum quod amicitia nobis junguntur.

Ad quintum dicendum, quod in his quæ ad conservationem naturæ pertinent, magis sumus debitorum parentibus, à quibus naturam accipimus, quam aliquibus aliis, & consanguineis consequenter: & ideo magis liberare debemus patrem à morte quam extraneum, etiam si ille nos in casu simili liberasset. Sed in aliis beneficiis possumus nos quandoque magis amicabiliter habere ad extraneos quam ad propinquos.

ARTICULUS VII.

Utrum pater sit maxime diligendus, vel filii, vel benefactores; vel seipsum debeat diligit, vel uxorem, vel fratres, vel matrem.

2. 2. quæst. xxvi. art. 10.

1. Ad septimum sic proceditur. Videtur quod pater non sit maxime diligendus. Effectus enim affectui respondet, & ipsum demonstrat. Sed magis ostendere debemus effectum amoris filiis quam patribus: non enim filii debent parentibus thesaurizare, sed è converso: II. Corinth. cap. xii. Ergo filii magis amandi sunt quam parentes.

2. Præterea. Charitatis ordo naturæ ordini non repugnat, cum charitas naturam non destruat, sed perficiat. Sed naturaliter homo plus diligit filium quam patrem; sicut etiam naturaliter plus diligit beneficiarios beneficiatum, quam è converso, in quantum relucet in eo suum bonum magis, ut dicitur in IX. Ethicor. cap. vii. Ergo & secundum

dum charitatem filii parentibus sunt magis amandi.

3. Præterea. Unusquisque debet seipsum plus diligere quam aliquem alium post Deum. Sed uxorem debet homo diligere sicut seipsum, cum sit unus corpus cum ea. Ergo debet uxorem magis quam alium aliquem diligere.

4. Præterea. Magis debemus diligere eos qui nos magis diligunt. Sed matres magis diligunt filios quam patres. Ergo & filii magis debent diligere matres quam patres.

5. Præterea. Similitudo est causa amicitiae. Sed filiae magis simulantur matribus quam patribus. Ergo ad minus filiae debent plus amare matres quam patres, & sorores quam fratres; & ita ordo qui in littera ponitur, non est universalis.

6. Præterea. Fratres Petri sunt propinquiore patri ejus quam filii sui. Si ergo pater esset super omnes alios diligendus, fratres essent magis diligendi quam filii: cujus contrarium in littera dicitur.

Sed contra. Super omnia debemus diligere Deum. Sed amor quem habemus ad patrem, magis similatur amor quem habemus ad Deum, qui est pater noster. Ergo patrem super omnes alios magis debemus amare.

Præterea. Ille cui numquam sufficienter potest retribui, maxime est amandus. Sed, sicut dicit Philosophus in VIII. Ethic. cap. xii. numquam sufficienter possumus retribuere patribus, à quibus esse, nutrimentum, & disciplinam accepimus. Ergo maxime inter proximos debemus patrem amare.

Præterea. Quanto major est amor, tanto firmior est. Sed amor filii ad patrem est firmior quam è converso: quia filii non possunt abnegare parentes, sicut possent patres filios abnegare, & eos propter aliquod crimen accusare, & expellere à se, ut dicitur VIII. Ethic. cap. ult. Ergo magis diligendi sunt patres quam filii.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod amicitia propinquo- rum, ut dictum est in corp. præced. art. fundatur super communicatione naturali. Omnis autem commu- nicatio naturalis fundatur super originem, secun- dum quam est pater, & filius. Fratres enim dicuntur aliqui in hoc quod ab eodem patre nascuntur, & sic deinceps. Unde tota amicitia propinquo- rum fundatur super amicitia patris ad filium; & ideo hæc amicitia est major quam aliqua alia propinquo- rum. In hac autem amicitia quodammodo filii præponun- tur parentibus, quodammodo parentes filiis, secun- dum duplicem modum amoris. Amat enim ali- quid ut res distincta, sicut amo hominem; & ali- quid ut alterius existens, sicut amo manum meam, vel aliud membrum uno amore quo amo me ipsum. Loquendo ergo de amore alicujus rei in se, sic magis amantur parentes quam filii; loquendo autem de amore quo aliquid amat in altero, sic filii magis diliguntur quam parentes. Cujus ratio est, quia unumquodque tanto magis diligitur, quanto nobis magis propinquum est. Propinquius autem est ali- quid alicui quod habet ordinem essentialem ad illum, quam quod accidentaliter ad ipsum ordinatur. Cau- sa autem essentialis est effectui sicut genus speciei; sed effectus ad causam accidentaliter se habet, quia sequitur esse ejus sicut species ad genus, nisi effectus sit aliquid causæ: quia sic effectus comparabitur

ad causam per modum partis integralis, quæ est ac- tu, & essentialiter in toto; secundum autem quod est aliquid causæ, non est distinctum ab ea, sed est unum cum ipsa. Considerando ergo patrem, & fi- lium, ut sunt quædam personæ in se distinctæ, sic pater magis amatur, cum sit causa, quam filius, qui est effectus. Sed quia filius est quædam res patris, & non è converso; ideo diligitur filius alia dilectione, inquantum res patris est, ut membrum diligentis ip- sius. Unde Philosophus dicit IV. Ethic. cap. xii. quod illud quod est ex aliquo genitum, est propin- quius, sicut membrum, puta pes, vel dens. Et quia hoc modo quasi una dilectione diligitur cum illa qua aliquid seipsum diligit; ideo secundum hoc fi- lius magis quam pater diligitur. Et secundum hanc viam assignat Philosophus tres rationes quare filii magis diligantur parentibus. Prima est quia filii sunt sicut membrum patris: unde aliquis diligit filium si- cut seipsum. Secundo quia patres sciunt magis ali- quos esse suos filios quam è converso. Tertio quia bonum patris in filio refulget, sicut bonum causæ in effectu: unde naturaliter quilibet artifex diligit opera sua sicut filios. Sed quia amor quo diligitur ali- quid in seipso, magis habet de ratione benevolentiae, quæ est principium amicitiae, & radix; ideo amicitia magis habetur ad patrem quam ad filium, & cha- ritas similiter, quamvis aliquo modo amor sit magis ad filium. Quidam autem dicunt, quod magis amantur filii affectu naturali, sed patres affectu charitatis. Sed hoc non placet mihi: quia nihil naturalium in- ordinatum est: esset autem inclinatio inordinata, si inclinaretur diligendum magis quod minus diligen- dum est. Unde charitas ordinem naturæ non mutat, sed perficit. Præterea in quibusdam homo magis in- clinatur naturaliter ad amorem patris quam ad amo- rem filii; sicut homo facilius expellit à se filium quam patrem, quem non expellit, nisi propter abundan- tiam malitiam, ut Philosophus dicit in VIII. Ethic. cap. xii. Similiter etiam quædam (1) animalia in- clinantur magis ad parentes quam ad filios inclina- tione naturali in quibusdam, sicut narrat Basilius in Hexameron Lib. VIII. hom. viii. de ciconiis, quæ parentes suos ætate confectos fovent plumis, alimen- ta ministrant, & in volatu supportant. Unde constat quod etiam secundum naturalem inclinationem, & secundum charitatem distinctione opus est.

Ad primum ergo dicendum, quod pater causa est filii; causa autem est influere in causatum, & non è converso. Unde amor naturalis ad filium attenditur secundum inclinationem naturalem affectus ad be- nefaciendum (2) sibi; sed amor filii ad patrem atten- ditur secundum inclinationem naturalem ad subji- ciendum se ei: & hæc inclinatio non est minor quam prima, immo major. Unde majorem malitiam oportet advenire ad hoc quod homo avertatur ab ista incli- natione quam à prima. Quamvis autem (3) aliquo in casu pater sit inferior filio, inquantum indiget auxi- lio ejus; hoc tamen non convenit patri, inquantum pater est: quia inquantum pater est, semper est superior, & causa. (4) Et quia natura semper incli- nat ad illud quod semper est, & per se, non ad illud quod accidit in casu; ideo non est tanta inclinatio naturalis ad benefaciendum patri, sicut ad benefa- ciendum filio. Sed hanc inclinationem facit ratio, quæ in hominibus supplet illud ad quod natura non sufficiebat. In aliis autem animalibus, in quibus hoc frequenter contingit, quod patres propter senectum

(1) Al. alia. (2) In edit. Nicolai deest sibi. (3) Al. aliquando in casu. (4) Al. Et ideo quia.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod omnes teneantur ad charitatem perfectam. Quia stare in via Dei, ut dicit Bernardus (epist. cclii. ad Abbatem Garinum) retrocedere est. Sed omnis qui procedit in via Dei, ad perfectionem tendit. Ergo omnes tenentur ad perfectionem charitatis tendere.

2. Præterea. Quilibet tenetur magis diligere proximum quam corpus proprium. Sed ponere vitam corporalem pro fratribus est perfectæ charitatis. Ergo quilibet tenetur ad perfectam charitatem.

3. Præterea. Illi qui negaverunt Deum propter timorem mortis, à peccato non excusantur. Sed non peccassent, nisi tenerentur ad hoc. Ergo quilibet tenetur ad moriendum pro Christo, quod est perfectæ charitatis.

4. Præterea. Philosophus dicit in VIII. Ethic. cap. ult. quod in honoribus qui sunt ad parentes, & ad Deum, non possumus reddere æquivalentes; sed justitia attenditur in hoc quod reddit illis quod potest. Sed ad opus justitiæ omnes tenentur. Ergo quilibet debet pro Deo facere totum quod potest. Potest autem ad opera perfectionis se extendere. Ergo tenetur ad illa.

Sed contra. Quilibet peccat omitens id ad quod tenetur. Si ergo omnes tenentur ad perfectam charitatem, omnes imperfecti damnarentur; quod falsum est.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod habentes charitatem perfectam teneantur ad omnia quæ sunt perfectio- nis. Quia, sicut dicit Gregorius, homil. ix. in Evang. cum crescant dona, rationes etiam crescant donorum; & Luc. xii. dicitur: Cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sed ei qui habet perfectam charita- tem, plus committitur. Ergo & plus tenetur secun- dum exigentiam doni accepti; & ita videtur quod teneatur ad ea quæ perfectionis sunt.

2. Præterea. Sicut se habet imperfectus ad commu- nia, ita se habet perfectus ad ea quæ perfectionis sunt. Sed imperfectus tenetur ad communia. Ergo & perfectus ad ea quæ perfectionis sunt.

3. Præterea. Apostolus tenebatur ad evangelizan- dum: quia dicit I Corinth. ix. 16. Si non evangeliza- vero, va mihi est? necessitas enim mihi incumbit: quod est perfectionis: non nisi quia habebat perfectam charitatem. Ergo illi qui habent perfectam charitatem, tenentur ad ea quæ perfectionis sunt.

Sed contra. Quanto aliquis plus habet de charita- te, plus habet de libertate: quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. II. Corinth. xii. 17. Sed perfectam charitatem habens, potissime habet libertatem. Ergo minus habet de obligatione. Ergo obligatus est ad mi- nora quam alii.

Præterea. Perfectionis est lingua non offendere, & peccata venialia vitare. Sed hoc nullus facit, (1) nec etiam Apostoli. Ergo perfecti non obligantur ad ea quæ perfectionis sunt.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sicut in augmento corporali distinguantur diverse ætates secundum diversos effectus notabiles in quibus natura proficit, quos prius exercere non poterat;

tem indigent filiorum auxilio, quia rationem non ha- bent, indidit natura inclinationem filiis ut patribus providerent, sicut è converso, ut dictum est de ciconiis.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de amore filii, secundum quod diligitur ut bonum patris: sic enim beneficiatum naturaliter plus diligitur quam beneficians, inquantum est factura beneficientis, quia relucet in eo opus suum.

Ad tertium dicendum, quod uxor in actum gene- rationis assumitur: unde videtur in eodem gradu ponenda esse, quantum ad amorem benevolentiae, cum filiis.

Ad quartum dicendum, quod matres naturaliter plus diligunt filios quam patres propter tres ratio- nes. Primo quia magis laborant in eorum generatio- ne, unde ponunt magis ibi de suo. Secundo quia magis sciunt quod sunt sui filii quam patres. Tertio quia statim natos secum tenent, & nutriunt; non autem patres: sicut & consanguineos, cum quibus conversa- sumus, magis diligimus, quia amicitiae natura- li adjungitur amicitia socialis: & hoc totum redit ad hoc quod plus de suo ponit mater in filio quam pater. Sed plus de eo quod est filii, ponitur à patre quam à matre: quia pater dat formam, & mater dat materiam: & ideo naturaliter homo plus diligit patrem, & consanguineos ex parte patris quam ex parte matris.

Ad quintum dicendum, quod filia in his quæ ad perfectionem pertinent, quæ ipsa magis in se diligit, plus similatur patri quam matri; sed in his quæ pertinent ad defectus, plus similatur matri quam patri; & hoc non est dilectionis ratio: & ideo etiam homo plus diligit naturaliter fratres quam sorores, inquantum perfectius imitantur patrem quam sorores.

Ad sextum dicendum, quod quamvis fratres sint propinquiore patri, tamen filii sunt propinquiore nobis. Nos autem debemus nosipsos magis diligere quam patres; & ideo magis filios quam fratres diligi- mus.

ARTICULUS VIII.

Utrum gradus charitatis convenienter distinguantur.

1. Ad octavum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter distinguantur isti gradus charitatis. Quia perfectio charitatis consistit in hoc quod Deus ex toto corde diligitur. Sed hoc non est possibile in via, ut supra dictum est, dist. xxvii. art. 2. Ergo charitas in via non potest esse perfecta.

2. Præterea. Illud quod est semper in augeri, non potest esse perfectum. Sed charitas, quamdiu in hac vita sumus, semper potest augeri, ut in I. Lib. dist. xvii. quæst. ii. art. i. corp. dictum est. Ergo non potest esse perfecta.

3. Præterea. In quolibet motu possunt accipi infi- nita media inter primum & ultimum. Sed charitas incipiens est quasi principium motus; terminus autem perfectio charitatis est. Ergo possunt infiniti gradus assignari.

4. Præterea. Quando incipit, etiam est proficiens. Ergo non debet distingui proficiens ab incipiente. Sed contra. Vita spiritualis similatur vitæ natura- li. Sed in profectu naturalis vitæ assignantur deter- minati gradus ætatum. Ergo & in charitate, secun- dum quam est spiritualis vita animæ, debent deter- minati gradus assignari.

In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. deest nec.